

Pfalm. 2. Dabo tibi gentes hereditatem, &c. A

5. NUNC ERGO DVO FILII TVI. Exposuit, quam hereditatem filiis relinquat: Nunc quos scribat heredes: Filij, inquit, tui duo Ephraim & Manasse mei erunt. His verbis adoptat duos nepotes, vt in numero filiorum suorum non minus quam Ruben & Simeon alij; censeantur, fiantq; duarum tribuum patres, & in diuisione terræ promissæ duas sortes obtineant. Reliqui liberi, inquit, quos genuisti post eos tui erunt, & nomine fratrum vocabuntur, hoc est, Manassitis vel Ephraimitis accensebuntur. Hac adoptione Iosephus primogenituræ donatur quantum ad

fructum: de quo Deut. 12. Priuatur vero eo Ruben propter incestum admissum, vt dicitur 1. Par. 5. 1. Ruben fuit primogenitus: cum autem violasset ipse torum patris sui, data est primogenitura eius filiis Ioseph filii Israel: non tamen vt ipsi attribueretur primogenitura. Iehuda enim fortissimus fuit inter fratres suos, & princeps ille ex eo: sed primogenitura ipsi Ioseph data est.

7. EX PADAN. Nempe Aram: ex gemina Syria: LXX. ἐν μεσοποταμίᾳ τῆς οὐείας. MILITARE TERRÆ. LXX. iuxta hippodromum Chabratha: Vetus; Eratque vernū tempus. IPSA EST BETHLEHEM. LXX. addunt: in via Hippodromi.

SECUNDA PARS CAPITIS

Benedictio filiorum Iosephi.

- 8 Et vidit Israel filios Ioseph, dixitq;: qui sunt isti?
 9 Respondit Ioseph patri suo, Filii mei sunt quos dedit mihi Deus hic. Et dixit, Admoue eos quasi ad me, & benedicam eis.
 10 (Oculi enim Israel caligabant pro senio, nec poterant videre) Et adduxit eos ad eum, & osculatus est eos, & amplexatus est eos.
 11 Et dixit Israel ad Ioseph: Videre faciem tuam non putabam: Et ecce, fecit Deus me videre semen tuum.
 12 Eduxit ergo eos Ioseph à genibus eius, & incuruauit faciem in terram.
 13 Et accepit Ioseph ambos eos, Ephraim in dextra sua ad sinistram Israel, & Manassen in sinistra sua ad dextram Israel, & adduxit illos ad eum.
 14 Tunc misit Israel dextram suam, & posuit super caput Ephraim, qui erat minor natu. sinistram vero suam super caput Manasse. Intelligere fecit manus suas, quamuis Manasse esset primogenitus.
 15 Benedixit itaque Ioseph & dixit: Deus in cuius conspectu ambulauerunt Patres mei, Abraham & Isaac. Deus qui pauit me à tempore vsque ad diem hunc.
 16 Angelus qui eripuit me ab omni malo: benedicat pueris istis & vocetur in eis nomen meum, & nomen patrum meorum Abraham & Isaac, & multiplicentur plurimum in medio terra.
 17 Vidit vero Ioseph, quod posuit pater suus manum suam dextram super caput Ephraim, & displicuit in oculis eius. Apprehendit itaq; manum patris sui, vt transferret eam à capite Ephraim super caput Manasse.
 18 Et dixit Ioseph patri suo: non sic pater mi: quoniam iste est primogenitus: pone dextram tuam super dextram huius.
 19 Renuit autem pater eius & dixit: Noui filii mi, noui: etiam iste erit in populum: & etiam iste magnus erit: Verumtamen frater eius minor maior fiet eo: & semen eius erit plenitudo gentium.
 20 Benedixit itaq; eis die illo dicendo: In te benedicet Israel, dicendo: Ponat te Deus sicut Ephraim, & sicut Manasse: Et posuit Ephraim ante Manasse.

EXPLA-